

us gaudebit &c. Aliud verò Spirituale & coeleste, quod in hac vitâ tantum inchoatur, in alterâ vero vitâ futurâ plenè consummatur, & proficiscitur ex tranquillâ conscientia, de quo Christus etiam agit Joh. 16. 20. inqviens: Vos autem mœrore afficiemini, sed mœror vester vertetur in gaudium, item v. 22. Et vos igitur nunc quidem mœrorem habetis &c. Et hoc gaudium Spirituale est fructus Sp.S. testante Apostolo Paulo Gal. 5.

Q. XIII. Ex v. 5. *Et hæc est Promissio &c. Quomodo & cur Deus lux dicatur?* Resp. Eum lucem vocari (1) Respectu sui; Est enim respectu suæ Essentiæ nil aliud, quàm ipsa lux substantialis. Sic enim Deus appellatur (a) Propter essentiæ Divinæ simplicitatem; nam sicut lux est res quædam simplex: ita Deus est Ens simplicissimum; In rebus creatis quidem compositio invenitur, ut in corporibus naturalibus, quæ composita sunt ex materia & forma, in rebus etiam creatis spiritualibus, quæ compositæ sunt ex substantiis & Accidentibus. Deus autem tanquam ens simplicissimum omnis compositionis expers est; ipse enim solus est *ἀπὸν γερ* & *ἀσώματ* teste Damasceno. (b) Propter naturæ suæ ab omni vitiorum labe puritatem; Nam sicut lux est res quædam in se pura, mixturam nullam admittens; Ita etiam Deus est in sua natura ab omni labe & mixtura purissimus Lev. 11: (c) Propter sapientiæ Divinæ sublimitatem: Lux enim opponitur tenebris, quæ in S. literis ignorantiam notant. E. lux, Deo tributa, innuit Divinam sapientiam. Hac triplici causa vocatur Deus Lux respectu sui. NB. Deus non vocatur lucidus in concreto, quia hoc involvit compositionem quandam ex Essentia & Accidente; sed Lux ipsa vocatur in Abstracto. (II) Ratione nostri, quia tenebras mentis nostræ dispellit, nosq; in tenebris & umbra mortis sedentes illuminat. Luc. 1. v. 79. Est autem Lux respectu nostri tripliciter. (1.) Contra tenebras mentis, nos enim ignorabamus quæ erant Spiritus Dei. 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea &c. habebamus etiam obtenebratam mentem, Ephes. 4. 17. 18. Christus autem nostram mentem illuminavit & enarravit nobis omnia & in veram cognitionem nos deduxit. Joh. 1. 18. (2.) Contra tenebras vitæ nostræ; nos enim in tenebris ambulabamus, ab alienati à vita Dei, ignorantes Regulam & modum rectè vivendi & Deum colendi, teste Apostolo 1. Joh. 1. item Paulo Ephes. 4. 18. Dum mentem habent obtenebratam, ab alienati à vitâ Dei &c. Christus autem monstravit nobis viam rectè vivendi